Quelle: http://manuscripta.at/?ID=912
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



filioli patris audite sentenciam. non enim arbitror quod in hoc
seculo iterum nos uisuri simus. Cogit conditio naturae. ut post cente
narium numerum quem annis quinque super gredior. iam re
soluar. Ita locutus audientium pectora contristauit. genuisque
et lacrime dicta merentia consecuta sunt. Amplexabantur
eum uniuersi. quasi iam de seculo recessurum. At ille tanquam alie
nam deserens ad propriam patriam proficisceretur magna cum leticia
percipiebat. desidiam instituto non debere subripere. sed
tanquam cottidie morituros ut ante predixerat a sordi
dis cogitacionibus animam custodire. et omnem emulatio
nem ad sanctos quosque conuertere. ad scismaticos uero ne prope quidem
accedere. Scitis enim aiebat eorum antiquam peruersitatem. Neque
cum arrianis in communione iungamini. quia impietas
eorum iam omnibus manifesta est. His etiam illud addebat. nul
lum debere christianum. cum sciret uideret potestates pro arria
norum et milicianorum pugnare nequicia. facile a christi
in terra discedere ueritate. mortalium esse illam defensionem.
nec diu fallacem permanere posse fantasiam. Qua propter aie
bat. Custodienda est filioli. pia fides in christo. et patrum
religiosa tradicio. quam et scripturarum lectione. et cre
bro mee paruitatis didicistis admonitu. Finito sermo
ne. fratres eum uehementissime retardabant. glorioso patris
cupientes termino decorari. Sed multas ob causas quas
et silencio demonstrabat. precipue tamen ob presumptam